UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res Gestae Illvstrissimo-||rvm Martyrvm, Con-||fessorvm Atqve Sancta-||rvm Virginvm ...

Eorvm Praecipve, Qvae Per|| R. P. L. Surium sex Tomis compraehensae sunt:|| et nunc restrictis verborum ambagibus ... ad ... D.|| Caesaris Baronii Chronologiam|| digestae ac in quatuor Tomos distributae

Lippeloo, Zacharias

Coloniae, 1595

VD16 ZV 18288

17

urn:nbn:de:hbz:466:1-43699

Visual Library

monuitque vt bonis operibus intenti ad brauium gloriæ ſempiternæ viriliter aſpirarent: & ſic demùm Kalendis Decembris è corpore fœliciter migrauit. Humatus eſt à diſcipulis magno luctu deformatis, in eccleſia beatorum martyrum Laurentij & Vincentij quam ipſe condiderat: in qua meritis & precibus eius, multi morbidi gratiam ſanitatis obtinent. Nam, tertio tranſlationis eius die, energumenus quidã in ſeipſum valdè crudelis, eo adductus, poſt triduum, cum parentibus ſoſpes diſceſſit, multiſq; annis, ſanus permanens, Deo ſe deuotum exhibuit cultorem. Quarto dein die, cæci tres ad tumulum eius venientes, redintegrata luce, incolumes indè abiêre. Nimis prolixi erimus ſi audita viſaq; omnia literis mandare velimus. Pauca, quæ retulimus, ad faciendam fidelibus fidem abundè ſufficere exiſtimamus. Sedit autem in epiſcopatu annis 46. menſ. 11. dies 19. & interfuit Synodo Turonenſi, cui ſubſcripſit: numeraturque ſecundus eius Sedis Antiſtes.

Obdormit in Domino.

MARTYRIVM S. TORPETIS PAVLI *Apoſtoli familiaris. ex eo quod in præclaro quodam MS. Codice extat.*

Maij 17.

S Torpes magnus apud Neronem.

SAnctus Torpes qui apud Neronem Imperatorem, dignitate auctoritateque, valuit plurimùm, vt primùm eius pietas & admiranda religio innotuit, Nero comprehenſum eum cuidam ſuo propinquo Satellico tradidit: vt eum, ſi quo modo poſſet, ad deorum ſacrificia impelleret. Sed cùm ſanctus martyr, diuina egregiè virtute roboratus, in Chriſti cõfeſſione, immobilis perſiſteret, commotus Satellicus, alapis eum cædi iuſſit: & ad columnam ligatum, verberibus tam immanibus affici,

Crudeliter cæditur.

ſti, vt purpureo ſuo ſanguine, ſolum vndiq; riga-
retornaretque. Eo ſupplicio diù multũque nequic-
quam fatigatus, tandem rotæ alligatus eſt. Indè fe-
ris à Syluio Satellici filio obiectus, nihil tamẽ ma-
li paſſus, præclaram vbique de hoſte victoriam re-
portauit. Hac eius conſtantia animiq; virtute per-
ſpecta Euellius Neronis conſiliarius, perfidiam &
impietatem execratus, fidem amplexatus eſt: & 5.
Kal. Maij luſtralibus aquis expiatus, Chriſto, ex a-
nimo nomen dedit. Torpes verò, iubente Syluio,
extra Piſanam ciuitatẽ ductus, capitis abſciſſione,
martyriũ compleuit, tertio Kal. Maij. Corpus eius,
ſceleris miniſtri, pœnè fractæ & nimia vetuſtate
conſumptæ nauiculæ impoſuerunt, ſimulque cum
cane & gallo in decurſum fluminis demiſerunt.
Verò Angelus Domini venerabili cuidam matro-
næ, Celerinę nomine, ſecundùm quietem apparens
mandauit, vt martyris corpus perquireret, ſepeli-
retque. Quod illa nequaquam ſurda aure accepit,
& inuentum ſanctiſſimi martyris corpus magno
honore ac reuerentia excepit, & in monumentum
condidit: quod poſteà ceſſante perſecutione, noua
eccleſiæ fabrica, inſigni opere viſenda honorauit;
ſuiſque facultatibus mirificè exornauit. Cuius fe-
ſtiuitas, propter tranſlationem, hoc die, celebriùs
colitur.

Feris obijcitur ſed nihil læditur.

Euellius cõſiliarius cõuertitur.

Torpes capite truncatur.

VITA S. DVNSTANI ARCHIEPISCOPI Cantuarienſis. ex ea quæ eſt per Osbertum Monachum Cantuarienſem. Migrauit ex hac vita anno Domini 988, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, cùm ſediſſet annis triginta tribus.

BEatus Dunſtanus, nobiliſſima gentis Anglorũ
prosapia ortus, eò nobiliùs, in huius mundi lu-

19. Maij.